DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA

SISTENS

Animadversiones de rumpendis velamentis ovi humani,

ET

descriptionem novi, huic operationi dicati, instrumenti,

QUAM

CONSENSU

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE GRYPHISWALDENSIS,

UT SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORES

RITE ADQUIRAT,

DIE XVIII. FEBRUARII CIↃIↃCCCXXIV

IN AUDITORIO MAJORI H. A. M. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR,

CAROLUS HENR. GODOFR. SCHEIBLER,

SOLDINO - NEOMARCHICUS.

ACCEDIT TABULA AERI INCISA.

GRYPHIAE

F. W. KUNIKE, REG. UNIV. TYPOGR.

VIRO

CELEBERRIMO MERITISSIMO

EXPERIENTISSIMO

ALEXANDRO KLUGE,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI,
PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE LITERARIA
BEROLINENSI ET IN ACADEMIA MEDICO-
CHIRURGICA MILITARI ETC.

PRAECEPTORI ATQUE FAUTORI

SUMME COLENDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIA MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Non dubito fore plerosque quidem, qui thema hujus dissertatiunculae nimis exiguum existiment, omnes autem, qui mecum consentiant, maximam ad boni aliquid utileque producendum experientiam exigi, nisi, aut jam dictum repetere, aut inane scribere velis.

Thema ea praecipue elegi causa, quod operationem perstringerem saepissime perficiendam, valdeque obiter,

miratu dignum, in obstetriciorum medicorum scriptis tactam, quodque cum medicis novum communicarem instrumentum, obstetriciorum apparatum inutiliter me hercule haud adaucturum. Operam tractatui conficiendo licet navarim, nihilominus lacunosum eum mansisse fateor, Vosque L. B. indulgentiam rogo. Valete, favete!

§ 1.

Illud, quo ovi humani involucrum aut manu aut instrumentis aperitur, artificium diruptio salutatur velamentorum, Germanis Blasensprengen, Wassersprengen.

§ 2.

In statu normali haecce operatio non necessaria est, nam velamentorum diruptio naturae vi propria sequitur et sequenti modo fit: Inter hebdomadem tricesimam octavam et quadragesimam, partu naturaliter absolvendo, caput modicis parvisque rotationibus semicircularibus ita tandem pelvim adgreditur, ut minor acetabulo sinistro advertatur fonticulus. Capite porro descendente os uteri magis magisque dilatatur, sub primae partus periodi finem duos transversos amplum digitos. Qui caput inter et inferiorem ovi partem detinetur amnii liquor, pergentibus semicircularibus capitis rotationibus auctus, post uteri oris dilatationem, ab initio inde secundae partus periodi ovi velamenta, vesiculae ad instar, propellit, quo de statu germanice: „Die Wasser stellen sich" dicitur

Sub finem secundae partus periodi, quae provecta os uteri ad sesquipollicem offert distentum, velamenta liquore, qui iis inest, forma elastici hemisphaerii, pone quod pars fructus praejacens tactu cognosci potest, ex uteri ore prodeunt et durantibus doloribus ita extenduntur, ut quovis rumpi minentur momento, et hic Germani: „Die Blase ist springfertig."

§ 3.

Hoc est momentum, ubi velamenta vi naturae propria rumpuntur, dum caput ab uteri contractionibus vehementer versus haec urgetur; hocce vero momentum est, ubi statu abnormi ars naturae auxilium afferre debet.

§ 4.

Obstetriciorum medicorum nonnulli, Sigmunda [1]) obstetrice Brandenburgensi instincti, velamenta sine exceptione quam primum dirumpenda docent, partum hac operatione acceleraturi, plurimis tamen optimisque repugnantibus, ne turbas hybrido cierent artificio. Genitalia sane integris velamentis melius aequabiliusque dilatatum, partumque promotum, amnii contra liquore evacuato, uterum super fructus partes ita contractum iri, ut partus non solum tardetur, sed etiam valde impediatur, quod sibi jam

1) Joseph Jacob Plenk Anfangsgründe der Geburtshülfe. Wien 1781. Bd I. S. 95.

persuaserunt Hippocrates [2]), Stuart [3]), Thebesius [4]), Plenk [5]), Creve [6]) etc. haud inficias eundum.

§ 5.

Operationem licet rumpendorum velamentorum nimis generatim instituere caveas; sunt tamen, in quibus non evitanda, sed pótius exercenda erit, casus, multumque veras operationis indicationes constituere, refert.

§ 6.

Indicationes ad rumpenda velamenta nobis praebentur

A) a matre,

B) ab infante solo et

C) a reliquis ovi humani partibus.

§ 7.

A) Indicationes a matre. Partim generalibus, partim specialibus statibus nituntur.

1) Status generales: Arthritis, hydrops, febris, exinanitio virium universalis, convulsiones, asphyxia etc.

---

2) Coac. praenot. Edit. Foesian. sect. II. § 536.

3) De secundinis nocivis aeque ac salutiferis J. c. P. 60.

4) Dr. Johann Ehrenfried Thebesii Hebammenkunst. Liegnitz 1759. Th. 3. S. 268.

5) J. J. Plenk's Anfangsgründe ꝛc. Bd I. S. 95.

6) Dr. J. Ch. Stark Archiv für die Geburtshülfe, Frauenzimmer und neugeborner Kinder Krankheiten. Jena 1793. Bd 5. Stück 2.

Hi status cum imprimis durante partu vitae minentur periculum, quod saepe sola fructus a matre solutione celeriter peracta removeri possit, velamenta ad artis auxilium adhibendum rumpi postulant.

§ 8.

2) Status speciales: *a*) exclusis genitalibus. Huc pertinent: cephalalgia vehemens durantibus doloribus, sanguinis in caput affluxu adducta apoplexiaeque approximantis index; vehementes nobilium organorum inflammationes; asthma ex hydrothorace, e pleurae concretione, e pulmonum substantiae degeneratione, e vasorum majorum cordisque vitiis etc.; singultus vehemens spasticus; varicosi et aneurysmatici tumores prope partes genitales; herniae strangulatae etc.

Hae anomaliae partum ocyus absolvendum, cum cogant, velamentorum diruptionem eo solummodo urgent respectu, ut alii sequantur obstetricii actus.

§ 9.

b) Status abnormes in genitalibus ipsis, qui velamenta rumpenda suadent.

α) vehemens uteri inflammatio; in hoc tumores; ejus ruptura, foetu adhuc in utero retento; pelvis angusta, cujus introitum caput adgressum est, inque quo immobile haeret, conjugata tanta, ut adacta expediri possit partus forcipe. Hic operatio rumpendorum velamen-

torum aeque ad alia artificia obstetricia adhibenda instituitur.

β) atonia uteri, et haemorrhagiae ex hac, operationem, antea dictam, ad exiguam affirmandam contractionem, deficientemque proliciendam, ut partus promoveatur, postulant.

γ) pelvis nimis ampla. Operatio instituitur, ut partus, liquore amnii evacuato, cohibitaque vesicae, qua uteri os atque vagina, ut facilius infantem transmittant, distendantur, formatione sensim sensimque, procrastinetur.

§ 10.

B) Indicationes ab infante solo. Huc: et partium singularum situs anomalus e. c. manus juxta caput jacentis etc., et totius fructus, ut nullatenus partus naturae vi, sed tantum artis auxilio finiri possit.

§ 11.

C) Indicationes a reliquis ovi humani partibus.

a) Velamentorum abnormitates et imprimis densitas eorum nimia. Hic, diruptione naturae viribus haud efficienda, partus profertur, doloribusque vehementioribus fructus cum integro propellitur ovo, placenta ab uteri divellitur parietibus, haemorrhagiaeque periculosae oriundae locus conceditur etc. Haec velamentorum indoles semper ab antiquis et recentioribus medicis obstetriciis e. g. Thebesio [7]),

---

7) Thebesii Hebammenkunst ꝛc. Th. 3. S. 267.

Plenk [8]), Aitken [9]), Stein [10]), Osiander [11]), Froriep [12]), Siebold [13]), Caro [14]) etc., pro indicatione majoris momenti habebatur.

§ 12.

b) Abnormitates placentae. Huc praecipue placenta pertinet praevia, durante partu colli et oris uterini dilatatione soluta, periculosas tunc nullaque ratione sistendas haemorrhagias producens. Quo in casu partus negotium, quia periculum in mora, quam celerrime absolvatur.

§ 13.

c) Liquoris amnii abnormitates.

α) nimius liquor durante jam graviditate multis variisque molestiis revelatur, quae ex

---

8) Plenk's Anfangsgründe ꝛc. B. I. S. 95 u. B. II. S. 312—13.

9) Johann Aitken's Grundsätze der Entbindungskunst, aus dem Engl. übers. und mit Anmerkungen versehen von Carl Heinr. Spohr. Nürnberg 1789. S. 114.

10) Georg Wilh. Stein Anleitung zur Geburtshülfe. Cassel 1777. Th. I. § 544.

11) Dr. Friedr. Benj. Osiander's neue Denkwürdigkeiten für Aerzte und Geburtshelfer. Göttingen 1797 B. I. Bogenz. 1. S. 213.

12) Handbuch der Geburtshülfe von Ludwig Friedrich Froriep. Th. II. S. 364.

13) Lehrbuch der theoretisch-practischen Entbindungskunde von Ad. Elias von Siebold. Nürnb. 1821. B. II. S. 229.

14) Lehrbuch der Gynaekologie von C. Gust. Carus. Leipzig 1820. Th. II. S. 200.

eximie tenso utero partes vicinas premente oriuntur. [†, Nicolai[15]), Dodonaeus[16]), Schenkius[17]), Salmuth[18]), Ettmüller[19]), ††, Plenk[20]), Osiander[21]), Creve[22]), Froriep[23]), Carus[24]), Siebold[25]), etc.] Mala eo magis accrescent, quo propior graviditatis finis. Praeterea foetui nimium spatium concessum est, quo facillime situm perversum accipiat, uteroque summopere extenso magna paratur atonia.

β) Tam exigua liquoris quantitas, ut partus valde tardetur et impediatur, fructusque ab utero proxime circumcinctus vitae periculum subeat. Maxími hic momenti est, fructus solutionem artis ope accelerare velamentaque caput arcte saepe circumdantia rumpere.

§ 14.

Operatio, quod attinet ad tempus, quo instituitur, aut ante parturiendi tempus fit, aut post id.

---

†) Essays and observat. physic. and liter. Vol. II. p. 342.
15) Nicolai Patholog. T. I. pag. 186.
16) Dodonaeus observ. Libr. 2. cap. 7.
17) Schenkius observat. p. 620.
18) Salmuth cent. I. observ. 59.
19) Ettmüller Opp. Tom. II. pag. 982.
††) Onomotologia medico-practica. Tom. II. pag. 167.
20) Dessen Anfangsgründe ꝛc. B. II. S. 314.
21) Dessen neue Denkwürdigkeiten. B. I. Bogenz. 1. S. 214.
22) Starke's Archiv ꝛc. B. V. St. 2. S. 373.
23) Dessen Handbuch der Geburtshülfe. Th. II. S. 365.
24) Dessen Gynaekologie. B. II. S. 513.
25) Dessen Entbindungskunde ꝛc. B. II. S. 229.

1) Operatio ante parturiendi tempus exercetur ad partum praematurum arte eliciendum, ut, scilicet in pelvi angusta, quae fructum maturum non transire patiretur, operationes matris vitae periculum afferentes e. g. sectio caesarea, synchondrotomia etc. evitentur. Quod tali tempore fiat, quali foetus jam extra uterum vitam proferre potest.

2) Velamentorum diruptio post parturiendi tempus. Plurimum operatio sub finem secundae partus periodi, velamentis rupturae aptis instituitur. Hoc attamen non omni in casu fit, nam saepe, rumpantur velamenta prius operatione obstetricia molienda, necesse erit.

§ 15.

Locus diruptionis varius. Saepissime operationi involucri pars vesicae forma ex ore uterino propulsa eligitur; velamenta tamen saepe intra uteri cavum, ut operatio obstetricia perfici possit, aperienda sunt. In partu e. g. ante legitimum tempus arte eliciendo cum utilitate ovum ad latus, ut amnii liquor paulatim effluat, aperietur. Huc etiam Deleurye [26]) pertinet praeceptum ad perficiendum versionis negotium, manu utero inducta pedes cum velamentis arripere, haecque illos trahendo rumpere. Haud valde absimile Carus [27]) amplectitur con-

---

26) F. A. Deleurye traité des accouchemens en faveur des Elèves à Paris 1770.

27) Dessen Gynaekologie. B. II. S. 305.

silium, velamenta loco, ubi pedes sunt siti, rupturus.

§ 16.

Velamenta rumpendi operatio jam in antiquissimis temporibus partim manu partim instrumentis peracta est.

1) Operatio manu instituta. Plerumque manus, nisi densitas velamentorum praeternaturalis adfuerit, sufficit, sequentique agitur modo: medicus alteram utram manum genitalibus parturientis aut in lecto aut in sella collocatae infert, indicemque versus involucrum doloribus intensum sursum rectaque ad pubis ossa compellit. Totam adigas manum haud semper necesse; sufficit digitus, praecipue index. Velamenta unguibus conterere imprimis tenacia, adjacente foetus parte faciliter laedenda, improbandum. Cum autem praeternaturalis velamentorum densitas adest, ad eorum diruptionem multa et varia instrumenta adhibentur.

§ 17.

2) Operatio instrumentorum ope.

Abulcasis [28]) jam velamentis digiti ungue haud rumpendis cultellum adhibet, quo perscindat haec. Quominus hunc sequamur modum, infantis laesionis genitalium propriaeque manus impedit periculum. Quod bene perspi-

---

28) Abulcasis de chirurgia arabice et latine. T. II. Cura I. Channing. Oxon. 1778. Sect. 75.

ciens Aetius [29]) velamenta tenacia forcipe arripere, arreptaque cultello acuto, Scolopomachaerio, incidere suadet. Rhodion [30]), qui prae caeteris in veterum studia incubuit, in scriptis: „Itaque," inquit, „si ipsa secundina sponte sua rumpi cesset ac neget, obstetricis erit, illam unguibus leniter infricare et proscindere, aut si hoc commode fieri non possit, apprehensam inter digitos, forpice aut cultello leniter incidere, ita tamen, ne quid eo vulnere partu perstringat."

§. 18.

Rhodionis ratione fere propagata ovum nullo alio modo, nisi ungue vel ſcalpello aperiebatur, cui methodo praecipue Voelter [31]) favebat. Le Boursier du Caudray huic fini dentiscalpium adhibuit; alii etiam operationem phlebotomo instituerunt, quo praesertim Tanaron, [32]) usque ad mucronem, ne partes vicinas laederet, linteo circumvoluto usus est. Deventer [33]) illo tempore usitatam acu comatoria involucri apertionem vituperat; Smellie [34]) tamen specillum vel forſicem acutam, ni vesica

29) Aetii opera Ed. Frobenii Basil. 1535 in fol. de re medica. L. XVI. Cap. 22 et 23.

30) E. Rhodion de partu hominis. Francof. 1563. 8. p. 16.

31) Deſſen Hebammenſchule. Stuttgard 1722. S. 122.

32) Piet. Paol. Tanaron il chirurgo Raccoglitore moderno. T. I. Bassano 1774. 8. p. 176.

33) Deſſen neues Hebammenlicht. Jena 1740. S. 247.

34) Ejusd. Treatise on the Theory and Practice of Widwifery. Vol. I. London 1779.

pollice et indice dirumpi possit, commendat. Post illum velamenta digitorum unguibus haud perfricanda, acu reticularia perforanda esse, Hirzelio [35]) videbantur. Jacob [36]), acuto instrumento ne foetus caput laedat, operationem parva forfice, maxima tamen cura, perfecturus est. Saxtorph [37]) peculiari ad rumpenda velamenta instrumento non usurus: „pertusoria", inquit, „instrumenta non tam inter minus necessaria referenda, quam potius omnino ex apparatu obstetricio proscribenda," obtusam laudat forficem. Baudelocque [38]) ne hanc quidem necessariam ratus, incisoriam forficem apice globulo cereo munitam applicuit.

§. 19.

Nunc ad descriptionem insrumentorum velamentorum rumpendorum causa proprie inventorum venio, quibus accuratius perstringendis operam navabo; liceat attamen prius, quod a bono instrumento postulandum, brevibus commemorem, ut quod consilio optime respondeat facili pateat negotio. De hac re omnino cum Professore Schreger [39]) consentio, qui dicit:

---

35) Dessen Lesebuch über Hebammenkunst. Zürich 1784. S. 198.

36) Dessen pract. Unterricht der Entbindungskunst, übers. von Dr. Busch. Marburg 1778. 8. S. 106.

37) Saxtorph Armament. Lucinae pag. 64.

38) Dessen Anleitung zur Entbindungskunst übers. von Meckel. Leipzig 1791. S. 423.

39) Die Werkzeuge der ältern und neuern Entbindungskunst von Dr. B. N. G. Schreger. Th. I. Erlangen 1799. S. 2

„Die Erforderniſſe eines guten Waſſerſpreng'rs ſind folgende: er muß ſo gebaut ſeyn, daß man weder beim Ein- noch Ausbringen deſſelben die Scheide, noch durch ſeine Application die vorliegenden Thei'e des Kindes zu verletzen in Gefahr kommt; und dann, da es beſonders im Falle der Wendung ſehr wichtig iſt, daß die Hand faſt zugleich mit dem Waſſerſprunge durch den Riß der Häute eindringe, muß er im Stande ſeyn, den Riß weit genug zu machen, und die Hand ſelbſt frei laſſen, um mit ihr ſogleich hindurch gehen zu können, damit nicht während deſſen ſie ſich mit dem Zurückziehen des Werkzeugs und mit dem Wiedereingehen beſchäftigt, einſtweilen das Waſſer ablaufe und überhaupt, damit der Handgriff nicht vervielfacht werde.

I. Hamulus Wiedemannae. [40]) Hamuli simplicis cum manubrio inventrix Sigmunda obstetrix habetur. Hoc instrumentum sequentium nonnullis melius, nec foetus partes nec vaginae parietes facile laedit, velamentorum rupturam sat magnam efficit, manumque, e vagina remotum, perficiendis artificiis aptam linquit. Facillime autem manum propriam hamulus retractus sauciabit.

II. Instrumentum a Fried inventum syringi pro injectione, longa instructae fistula, non dissimile est, cujus extrema pars in discum parvum desinit. Ad hujus instrumenti utrumque latus digitis medio et indice excipiendis annulus haeret, quo facilius instrumento utaris. Bacillus totam

40) Kurze Anleitung für chriſtliche Hebammen von Barbara Wiedemannin. Augsburg 1738. 8.

percurrit syringem mobilis, longior hac, ut supra emineat, ima parte globulo, suprema apice aculeato, pollicem longo, munitus. Instrumentum, manu genitalibus recepta duce, versus locum dirigitur operationi aptum, propulsusque altera manu bacilli apex velamentis inseritur, quibus ruptis cavea absconditus, removetur. Acus recta agens directione, ne, doloribus ad partum vehementioribus, foetum laedat, Thebesio [41]) auctore velamentis digito plicatis admoveatur, quod tamen consilium intentis iis aegerrime explendum esse, artis peritum non latet. Quam efficit praeterea apertura parva rotunda, densis vix dilatanda involucris. Unicum quod agnoscamus instrumenti commodum, inductum et eductum neque vaginam, neque manum artificis vulnerare, levioris, quam quod vitia superet, momenti. Roederer [42]) id correcturus spiram inferiori bacilli parti adjecit elasticam, qua vi amota resiliat acus.

III. Scalpellum digitale ab Aitken [43]) inventum est digiti munimentum, cujus parti superiori curva infixa est cuspis. Hoc instrumentum cultro chirurgico sive lanceola haud melius, hacque ex causa pernoxium rejiciatur.

IV. Instrumentum Steinii [44]) annulus est argenteus, cuspidi argenteae nuptus, sesquipol-

---

41) Dessen Hebammenkunst. Th. 3. S. 281.

42) Dr. J. G. Roederer elementa artis obstetriciae. Goettingae 1759. pag. 298. § 627.

43) Dessen Grundſ. der Entbindungskunst. Taf. XXX. Fig. 6.

44) Dessen Geburtshülfe. Th. 1. S. 169 — 170.

licem longae, stylo simili medici manui adaptandus, ita indicis manus operantis articulo secundo praefigitur, ut cuspis dorso indicis incubet, medioque digito contegatur. Digiti ad velamenta adducuntur, medius, ut mucro prosiliat, paululum retrahitur, ultro citroque movendo vesica leviter vulneratur. Instrumentum non tam acutum, quam Friedii, hacque ex caussa difficile laesurum levi adigitur manu removeturque. Rectum attamen instrumentum aegrius velamenta fissurum eo premitur praecipue incommodo, quod manum e partibus genitalibus, ut eximatur, retrahere jubeat, propositasque obstetricias perficere cohibeat operationes.

Osiander, [45]) ut utilius redderet, cuivisque manui aptaret, annulum ita construxit, ut non omnino clauderet eum, sed duobus finiret cruribus altero alterum transgrediente, mucronemque hamulo munivit. Hacce licet mutatione instrumentum aptius evaserit, moerendum tamen, nisi manu e genitalibus educta, a digito abstrahi non posse.

V. Instrumentum Loeffleri, [46]) tenaculo oculari a Demours simile, lamina est angusta, curva argentea sive chalybea, quae volam, apicem, et dorsum indicis arcte cingit, utrumque tamen nudum linquit latus. Superiori ejus

---

45) Dessen neue Denkwürdigkeiten ꝛc. B. I. Bogenzahl 1. S. 241.

46) Adolph Friedrich Löffler Beiträge zur Arzneiwissenschaft und Wundarzneikunst. Leipzig und Altona 1791. Th. II. S. 103 — 104.

parti hamulus linearum nonnullarum est infixus, altero crure inferiori parte ad funiculum recipiendum forato. Instrumentum indici accuratissime attiguum, cuspide pollice et digito medio tecta, ad velamenta ducitur, quibus laceratis, tegentibus digitis ab indice depulsum, juxta volam manus funiculo extrahitur. Fructus partes non facile vulneraturum instrumentum, licet manum in vagina linquat, facillime vel vaginam vel artificis manum, propere extractum, vulnerat.

VI. Instrumentum Osiandri. [47]) Priori tempore Osiander conductore obstetricio ad rumpenda velamenta usus est. Eidem cuspis erat, quae theca, manubrii vires gerente condebatur. Osiander mox sibi persuadens, hoc instrumentum, magna adhibita providentia, tamen noxium esse, id reliquit, novumque excogitavit, commodis incommodisque instrumentorum diligentissime comparatis antea propositorum.

Instrumentum chalybeum tribus componitur partibus. Praecipua bacillus est, octo pollices longus, duas latus lineas, sesquilineam altus, manubrio reflexo ansato praeditus, quo index et medius digitus excipiantur. Foramen in superiore parte, bacillum recta penetrans, apicem recipit hamuli, elatere bacilli dorso affixo, secunda instrumenti parte, cui adhaeret, moti. Duae anteriori superficiei bacilli sunt incisu-

---

47) Dessen neue Denkwürdigkeiten rc. B. I. Bogenzahl 1. S. 242—248.

rae, altera ad medium ejus corpus, altera ad finem. Prima, totum dividens corpus, cochleam recipit, a medio adverso alterius bacilli, tertiae instrumenti partis, prosilientem, tamque longam, ut ad dorsum primi promineat bacilli, ubi elastica adfigitur matrice. Auxiliante matrice alter bacillus, qui ad imam partem alterius manubrio oppositas gerit eminentias, inter quas pollex manus instrumentum tenentis quiescit, sursum atque deorsum supra hunc movetur, ut propulsus foramen claudat, retractus liberet, situ lingula a secunda incisura, supra nominata, recepta firmandus. Artifex intsrumento, quod illinatur necesse, usurus, indicem et medium manus sinistrae digitum manubrio inserit, pollicem inter prominentias mobilis bacilli ponit, juxtaque volam dextrae in genitalibus quiescentis manus ad velamenta ducit. Mobili tunc bacillo hactenus hami prolapsum prohibente, pollice detracto, dextrae manus index, instrumenti apicem tegens, elaterem ita premit, ut ejus mucro e foramine evadat, quo facto velamenta attracto instrumento dilacerantur. Index deinde rupturam, qua aberrari non potest, adgreditur, eamque, quam potest, dilatat. Elatere resiliente cuspis conditur, et, ut omne periculum removeatur, bacillo mobili propulso suprema apertura clauditur. Instrumentum nunc tali modo, quali inductum, educitur. Haud negandum, Osiandrum egregiam operam ad hoc instrumentum, propositis, quam maxime congruum consiliis construendum, haudque sine successu navasse, postulataque explevisse. Quae

non amolitus videtur vitia incommodaque brevibus, summa eius nihilominus agnoscens merita, sum commemoraturus.

1) Instrumentum secundum Osiandri praescriptum e chalybe paratum praecipuam purgationem postulat, eaque adhibita saepe tamen rubigine defoedabitur, bacillus mobilis tunc difficulter dirigetur, hamus foramine coercebitur, ut celeriter recedere nequeat, attractumque ad rupturae dilatationem instrumentum laesionis periculum partibus afferet.

2) Velamenta caput arcte circumdantia, citra laesionis fructus praejacentis partis periculum, aegerrime sunt rumpenda.

3) Instrumentum tandem, etsi consilio accommodatum, tamen nimis esse compositum, notandum eſt.

VII. Instrumentum ad velamenta rumpenda Sieboldi [48]) constituit hamulum superiori et laterali parti forficis, ab ipso inventae ad funiculum perscindendum curvae, affigendum. Forfex inter indicem et digitum manus sinistrae medium, doloribus imprimis durantibus, ad vesicam intentam ducitur, qua hamulo rupta, extrahitur altera manu, altera in genitalibus, rupturam dilatatura, relicta.

Quamvis simplicissimum laudes mereatur instrumentum, animadvertendum tamen, quod partes vicinas vel manum medici intecto vulnerare possit hamulo.

---

48) Dessen Lehrbuch der theoretisch-practischen Entbindungskunde rc. B. II. S. 232.

VIII. Instrumentum quod Carus [49]) proposuit tenaculum paululum incurvum refert, crurum in decussim ductorum superiore parte extrorsum vergentium apicibus, recta ad laminam introrsum flexis, ut attigui planum forment. Incommodum certe id respici potest, quod pars foetalis, velamentis arcte circumdata, facile corripiatur.

IX. Instrumentum ad velamenta rumpenda a Kluge inventum. Professor Kluge, nosocomii caritatis Berolinensis instituti obstetricii moderator, coactus ut arte saepissime velamentorum moliretur rupturam, omnia in hanc finem inventa, proposito haud respondere consilio, instrumenta sibi persuasit, insignique sagacitate novum, usitatae ad injectiones in uterum syringi adaptandum, effinxit, matris fructusque aeque ac artificis manus laesionem certissime impediens, impensisque quam minimis parandum.

Instrumentum cylindricum stanneum, pollicis longitudine, duabus componitur partibus, minore superiore, inferiore majore. Superior pars, octo lineas longa, cavum repraesentat cylindrum, cujus interioris superficiei inferiori et dimidiae parti matrix insculpta est. Inferioris partis, undecim lineas longae, basis, matrice, qua cum syringis fistula conjungatur, instructa, pollicis trientis longitudine, cylindrica cava, dimidii pollicis diametro, continuo, paululum compressa, in cochleam producitur

---

49) Dessen Lehrbuch der Gynaekologie. B. II. S. 306.

quatuor lineas longam, aeque cavam, matrici superioris partis respondentem. E lacunari plano, quo supra tegitur, lanceola, ad cujus utrumque latus foraminulo hiat lacunar, pollicis trientem longa, basique quatuor lineas lata prosilit. Partibus duabus cochleae ope in instrumentum unitis, lanceolae, primae partis cavea absconditae, apex lineam ab hujus margine distat superiore. Syrinx, cujus fistulae, in cochleam exeunti, matrice secundae partis, praefigatur apparatus, pistillo accuratius fabrefacto, tenui aluta tecto, arctissimeque inhaerente suetas superet, necesse.

Apertura instrumenti syringi conjuncti superior ad velamentorum partem rumpendam ducitur, pistillumque retrahitur, quo facto vacuo formato velamenta in cylindrum ad lanceolam usque descendentia sponte sua aperiuntur.

Accuratior applicatio sequenti modo fit: Obstetricius medicus indice et medio manus dextrae digito ad locum velamentornm aperiendum appositis, instrumentum, manu sinistra apprehensum ad eundem ducit locum auxiliantibus dictis digitis. Dextra manus, instrumento sinistra leniter ad velamenta propulso, e genitalibus demitur, pistillumque illa retrahitur. Instrumentum, nisi obstetriciam instituturus sis operationem, pistillo praetuso e vagina promitur, operatione autem, e. c. versione, adhibenda, pistillum retractum manet, manusque dextra ad cylindri apicem ducitur, sinistra instrumentum e genitalibus removens, aliqua cum celeritate id a velamentis detra-

hit. Hoc modo apertura sat magna fit, efficiturque, ut manus eam ad operationem peragendam adire possit. Commutandas esse, operatione obstetricia sinistra manu perficienda, manus facile intelligitur. — Hoc instrumentum omnibus postulationibus egregie respondet. Facili ejus commodaque inductione et eductione nec genitalia nec manum propriam laedere potes, nec, quod summis extollatur laudibus, fructus praejacentem partem, abstractis ab ea velamentis, quae usu ceterorum instrumentorum, recta sursum vel ad latus agentium, foetum versus potius pelluntur, ut deficiente peritia et providentia hic difficulter vulnerationis evadat periculum. Magni dein momenti est manum, ad operationem obstetriciam instituendam in vagina relictam, statim factam adgredi posse rupturam. Quibus addas simplicissimum apparatum cuilibet esse syringi aptandum, fistula gaudenti in cochleam desinente, et superimposita cribri ad instar forata glande, ad injectiones in uterum, simpliciter forata, ad enemata pariter adhibendae, quo facto lubens ingeniosi agnosces inventoris merita.

EXPLICATIO TABULAE.

Fig I. Instrumentum ad velamenta rumpenda (vulgo Wassersprenger).

a. b., Cylindrus stanneus.

b. c., ejus pars inferior, quae novaculam fert.

d., acumen novaculae.

Fig. II. Cylindri pars inferior cum novacula.

Fig. III. Cylindri, cum novacula, diametrus.

a. b., Cylindrus.

c., cochlea femina (matrix), cujus ope cylindrus fistulae imponitur.

d. d., cochlea, cylindri partem superiorem cum inferiori conjungens.

e. e., novacula.

f. f., foraminula juxta illam.

Fig. IV. Cylindrus, ex superiore parte visus.

a., novacula.

b. b., foraminula juxta novaculam.

Fig. V. Fistula cum cylindro, siphoni adaptanda.

a. b., Cylindrus.

a. c., ejus pars superior.

Fig. VI. Sipho.

Fig. VII. Glans perforata, cujus ope injectiones in uterum fieri possunt, cum fistula (Fig. V.) cochlea conjungenda.

Fig. VIII. Fistula pro enematibus.

Fig. IX. Pistillum siphonis ductorium.

c. c., lamina stannea.

b. b., corium molle.

a. a., alia lamina stannea, per cochleam infigenda, et corium retinens.

Nota. Fig. V. et VI. dimidio minores referunt, et fistulam, et siphonem.

CURRICULUM VITAE.

Ego Carolus Henricus Godofredus Scheibler, die XI. Novembris anni MDCCXCIII Soldini in Neomarchia natus, confessioni Lutheri baptemate adscriptus sum. Post parentum mortem carissimorum Berolinum adgressus, in scholis elementariis atque gymnasiis excultus, alumnus in institutum medico-chirurgicum militare, nomine Friderici Guilelmi illustre, receptus sum. Hoc in tempore Professores Universitatis literariae et academiae militaris Regiae me docuerunt: Mathesin et Logicen Beat. Kiesewetter, Botanicen Beat. Willdenow, Zoologiam Cel. Lichtenstein, Anatomiam theoreticam et practicam, organorum sensuum et comparatam Illustr. Rudolphi et Illustr. Knape, Physicen, Chemiam et Pharmaciam Illustr. Turte, Physiologiam Illustr. de Koenen et Illustr Rudolphi, Pathologiam generalem ac specialem Cel. Fr. Hufeland et Illustr. Horn, Materiam medicam Illust. de Koenen, Therapiam generalem ac specialem Beat. Reil et Illustr. Horn, Chirurgiam, Cursum Operationum chirurgicarum et fascias apponendi artem Beat. Mursinna. Tunc in Caritatis Nosocomio Berolinensi chirurgi munere per menses viginti tres functus, posteaque Regis potentissimi exercitum anno MDCCCXV cum Franco-Gallis bellum gerentem secutus sum.

Anno MDCCCXXI in numerum superioris ordinis Chirurgorum exercitus receptus, Chirurgiam, Artem obstetriciam et fascias apponendi Cel. Klugii, Chirurgiam, Cursum operationum chirurgicarum, et Clinicum ophthalmologico - chirurgicum Illustr. Rustii, morborum therapiam chronicorum Illustr. Chr. W. Hufelandii, Anthropologiam forensem Illustr. Knapii etc. frequentavi.

Studiis meis absolutis anno MDCCCXII et XXIII omnia examina medico - chirurgica et obstetricia rite absolvi.

Tentamine et Examine rigoroso coram Gratiosa Medicorum Facultate Gryphiswaldensi peractis et defensa dissertatione, spero fore, ut summi in me conferantur Medicinae et Chirurgiae honores.

THESES DEFENDENDAE.

I.


Liquorem amnii nutritioni foetus praeesse haud nego.

II.

Crusta inflammatoria non signum est inflammationis pathognomonicum.

III.

Pleuritis a peripneumonia non distinguenda eſt.



Dr. G. Foerster ad nat. del.

W. Linger jun. sc.